# IOAN. PHILIPPI TREIBERI

PH. & I. V. D. FAC. PHILOS. ADIVNCTI.

COMMENTATIO IVRIDICA

DE

# EXCVSSIONE FENE-STRARVM

## Von Fenſter-Einſchmeiſſen

ADIECTVM EST

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

OPVSCVLVM

A. R. I. BVNEMANNI, M.

DE

# STVDIOSIS BACCHANTI-BVS TVMVLTVANTIBVS-QVE

Von ſchwermenden und tumultuirenden Studenten
Item: Von der Purſchen-Freyheit,
Wetzen, Lichtweg- VIVAT- und PEREAT-Ruffen.

*HALAE SALICAE* CIↃ IↃCCXXXVII.
Literis IOA. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typ.

Digitized by Google

Digitized by Google

*VIRO SVMME REVERENDO*

*DOCTISSIMOQVE*

# DNO. MARKESIO

ECCLESIAE MINDENSIS

D. MARIAE

PASTORI PRIMARIO LONGE MERITISSIMO

IVDICII ECCLESIASTICI

ASSESSORI

GRAVISSIMO

AMICO ET COGNATO MEO

OMNI HONORIS CVLTV

PROSEQVENDO

*S. P. D.*

AVGVSTVS RVDOLPHVS IESAIAS BÜNEMANNVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

*VIR SVMME REVERENDE ATQVE DOCTISSIME!*

QVoties cunque recordor, recordor autem ſæpius, quantam erga meos & me ſemper habueris propenſionem, ingratum me ipſum iudico, quippe qui pro viribus nondum



Digitized by Google

gratæ mentis ſignum dedi. Liceat iam mihi me aliquatenus purgare ab hac ingratæ mentis macula, munere hoc, chartaceo quidem. Eruditi, quorum quidem veſtigia legere debeo, nonniſi hæc dona dare ſolent; qui ego minor magiſtris alia? Vtinam Opuſculum hoc TE ſatis dignum eſſet. Eſt enim nimis tenue, vt TIBI ſatisfacere & ſolvere poſſit nomina quibus TIBI obſtringor. Sed neque id volui; Sed ſaltem illo, tanquam, monumento publico palam dare, quam ſim TIBI deditus. Vale. Dedi Halæ Salicæ clↃ IↃcc xxxvi. d. xxix. JVNII.

Tradi-

Digitized by Google

# Tradituri id, quod juſtum eſt circa excuſſionem Feneſtram: proponemus:

1. *Nominis explicationem, nimirum*
   1. *Derivationem*
      1. *Vocis: Excuſſio* §. 1.
      2. *Vocis: Feneſtra* §. 2.
   2. *Significationem, quatenus * Excuſſionis & ** Feneſtræ vox ſignificant*
      1. *Diverſa* * §. 3. §. 4. ** §. 5.
      2. *Idem cum pluribus aliis nominibus.* §. 6.
2. *Conſiderationem Excuſſionis Feneſtrarum quoad Rem, in*
   1. *Definitione* §. 7.
   2. *Diviſione* §. 8. *ratione ſubjecti facta, in excuſſionem Feneſtrarum*
      1. *Reluctante vicino conſtitutarum, qualis eſt excuſſio Feneſtrarum facta ei, qui invito vicino proprium parietem, non conſtituta ſervitute, aperuerat* §. 9. 10. 11. 12.
      2. *Pace vicini poſitarum*, §. 13. & *harum-excuſſionem Feneſtrarum conſiderabimus.*

I. *Poſte-*

1. *Poſteriorem, itidem diviſam ratione ſubjecti, cui damnum injuria datur, in*

1. *Eam, quam paſſus eſt is, qui ſervitutem luminum & conſimilem in alieno prædio habet.* §. 14. 15. 16.
2. *Eam, quam paſſus eſt is, de quo alii eidem infenſi vindictam privatam per tale quid commiſſum ſumſerunt.* §. 14. 17. 18.

2. *Utramque ratione remediorum, quibus reſarcitur damnum per excuſionem hanc datum,* §. 19. *quæ ſunt:*

1. *Actio confeſſoria,* §. 20.
2. *Actio Legis Aquiliæ, d.* §. 20. *& harum actionum vel competit.*

1. *Utraque, nimirum ei, qui ſervitutem luminum vel conſimilem in alieno prædio habet.* §. 20, 21, 22.
2. *Una* §. 20. *nimirum tantum actio Legis Aquiliæ,* §. 23. 24.

1. *Ei, qui invito vicino feneſtras in ſuo pariete, non conſtituta ſervitute erexerat, & ab hoc earum excuſſionem perpeſſus eſt. d.* §. 23. 24.
2. *Ei, de quo alii eidem infenſi per ejusmodi factum vindictam privatam ſumſerunt. d.* §. 23. 24.

§. I. Ex-

§. I.

EXcuſſionis nomen ab excutiendo, excutere autem ab ex & quatio ſuum ducere ortum, vel rudioribus conſtat, æque, atque, quod vox quatere notet **heftig bewegen, ſchütteln**, excutere: **ausſchlagen ausſchütteln**. Hinc excuſſio eſt: **das Ausſchlagen**.

§. II. Feneſtræ vocabulum ſive putes eſſe primitivum, ſive cum Dentzlero *in Clav. Lat. Lingv.* illud a Græco: *φαίνεσθαι*, lucere, derives, nobis perinde eſt.

§. III. Excuſſionis, veluti etiam terminus *τοῦ* excutere, *proprie* & *phyſice* ſignificat violentum atque reciprocum motum, ſeu actum tamdiu vibrantis, donec aliquid ita moveatur, ut illud e loco & ſtatu obtento in ſtatum & locum præfinitum pergat. Atque ſecundum phyſicam hanc & propriam ſignificationem in §. 1. germanicé reddita eſt vox excuſſionis.

§. IV. Improprie autem, & juridice notio excuſſionis, quæ licet non reperiatur in ll. jam citandis, tamen idem ac *τὸ* excutere, quod ibi reperitur, ſignificat, ſi infinitivus loco nominis ponatur, veluti in phraſi: *Scire tuum nihil eſt*; & ſumitur pro diligenti inquiſitione ac detentione facultatem principalis debitoris, per judicem, usque ad peram (ut vocant) & ſacculum, id eſt noviſſimum quadrantem effecta, eum in finem, ut ſciatur: an ille ſit ſolvendo? *Bart. in tract. de excuſſione pign. Col. 1. vid. l. ſi plures §. 2. ff. de admin. & peric. tut. l. Titia §. fin. ff. de manum. teſtam. l. licet. §. 1. ff. ſiquis vmiſſ. cauſ. teſta. l. 1. §. ſi inter, ff. de magiſt. conve. l. 1. C. de revoc. his, quæ in fraud. cred. l. 29. §. ſi cum debitor. ff. mand.* Hinc eſt beneficium excuſſionis. *Nov. 4. Auth. præſente, C. de fidejuſſor. & mandatorib.*

§. V. Etiam feneſtræ nomen uno pluribus ſubſtat



ſigni-

ſignificatibus. Nam 1) proprie ſumtum ſignificat machinam, ex partibus vitreis, mediante plumbo flexili, & jugamento ligneo eum in finem conſtructam, ut parietis aperti ſpatium ſeu foramen impleat, & per illam locus illuminandus illuminetur. Atque hic ſignificatus in præſenti diſſertatione obtinet. 2) Feneſtra etiam improprie ſumitur, pro occaſione, quæ aperitur alteri, veluti ſumitur in phraſi Terentiana: Feneſtram ad nequitiam patefacere, aperire, einem Fürſchub, Urſach, Anlaß, Gelegenheit und Anleitung zur Boßheit geben.

§. VI. Excuſſione Feneſtrarum poteſt etiam appellari violenta eliſio Feneſtrarum, fractio Feneſtrarum motu durarum materiarum effecta. Et Feneſtræ, ſi lubet, ſalutari etiam poſſunt: Machinæ pellucidæ, ligneo-plumbeo vitreæ. Salutari inſuper ſolent: *lumina*, in materia de ſervitute luminum, & ſervitute, ne luminibus officiatur, Titulo de *S. V. P. l. 4. l. 15. l. 17. §. 1. l. 22. l. 23. l. 40. ff. &c. junct. l. 1. & l. 8. C. d. t.*

§. VII. Excuſſio Feneſtrarum nobis eſt actus, quo *alterius* Feneſtræ per admotas materias duras franguntur, & per hoc illi damnum injuria datur.

§. VIII. Excuſſio Feneſtrarum ſiſtetur a nobis duplex; nempe: Excuſſio Feneſtrarum reluctante vicino parieti noſtro immiſſarum, & excuſſio Feneſtrarum pace vicini in pariete noſtro erectarum.

§. IX. Quod attinet excuſſionem Feneſtrarum reluctante vicino parieti noſtro immiſſarum, (*I.*) de ea ſequentem formamus quæſtionem generalem: *An v. g. ei, qui, invito vicino, proprium parietem non conſtituta ſervitute aperuit, apertoque ſpatio feneſtras immittit, an, inquam, ei a vicino reluctante juſte excutiantur illæ feneſtræ?* (*II.*) Hunc fingimus caſum,

caſum, cui ſubjungemus ſpecialiorem aliquam quæſtionem: *Sempronius, ſervitute luminum ſibi non conſtituta, parietem ſuum aperit, & hujus foramini feneſtras immittit, ex quibus in Caji prædium poteſt inſpici; Cajus, Sempronii vicinus, admonet Sempronium dicens: Se plane non admiſſurum, ut Sempronius, cum is de ſervitute luminum ſibi conſtituta gloriari non poſſit, licentiam obtineret, ex novis feneſtris negotia aliena contemplandi; & ideo velle ſe Sempronio nunciatum, quod, niſi amoveret feneſtras iſtas novas, propediem illæ futuræ ſint excuſſæ. Sempronius Cajo renunciari jubet: ſibi eſſe liberum, aperire parietem ſuum, & apertum redintegrare feneſtris, quamvis non conſtituta ſibi ſit in Caji prædio Servitus luminum, ſeque Caji minas nihil curare. Cajus replicat lapidibus, elidendo Sempronii feneſtras.* Quæritur: an Cajus jure excuſſerit Sempronii novas feneſtras? & reſpondetur negative, *arg. l. 9. & 15. ff. de S. V. P. l. 8. 9. C. eod. l. 8. §. 5. ff. ſi ſerv. vind. l. 12. §. 2. C. de ædif. priv.*

§. X. Nam, *Primo*, quamvis vicinus non teneatur, ſervitute non conſtituta, excipere lumina noſtra, ſed illa ædificando in ſuo poſſit obſtruere; *d. l. 9. ff. de S. V. P.* imo etiam in proprio, ut & communi pariete feneſtras fieri prohibere poſſit, *l. 8. C. de Servit. & aqu. l. 40. ff. de S. V. P. add. Scotan. §. 27. th. 15.* tamen in proprio pariete, invito vicino, quis feneſtram facere poteſt; *arg. antea citatar. ll. ſcil. l. 9. & 15. ff. de S. V. P. l. 8. 9. C. eod. l. 8. §. 5. ff. ſi ſervit. vind. l. 12. §. 2. C. de ædif. priv. Cæpoll. de S. V. P. cap. 62. Simon Piſtor. I. Conſ. 12. Alex. Raudenſ. dec. 9. num. 32. Don. & Hillig. 11. Comm. 5. vid. Scotan. citat. D. 17. th. 16. Carpzov. 2. 41. def. 12. Struv. Diſſert. de ædif. priv. th. 32. & 35.* Qui enim jure ſuo, quod jus gentium ad commodum ſuum abſque nuda æmulatione & hoſtilitate inſequendum concedit, utitur, non videtur

damnum dare, *l. 9. ff. de S. V. P. l. 26. de damn. inf. l. 24. §. fin. eod. Fra. Vivius, dec. 306. n. 4. Ern. Cothmann. 2. conſ. 93. n. 36. Nic. Everh. Jun. 1. Conſ. ult. num. 5. 6. Aymo Cravetta, Conſ. 4. n. 3. Quint. Mand. de inhib. qu. 53.* Et propterea Cajus in caſu noſtro Sempronii feneſtras novas non excuſſit jure.

§. XI. Deinde etiam ex ſequentibus apparet: Cajum jure non eliſiſſe Sempronii feneſtras. Jus enim civile non permittit in ejusmodi caſibus, ut quisque de alio privatam ſumat vindictam. Nam, *per text l. 14. C. de Judæis & cælic. judiciorum vigor, jurisque publici tutela idcirco videtur in medio conſtituta, ne quisquam ſibi ipſi permittere valeat ultionem. adde. l. 38. §. 8. ad L. Jul. de adult.*

§. XII. Neque juvat Cajum illa Regula: *Si quid in noſtro vi aut clam ædificatum; vel factum eſt, id vi aut clam deſtruere poſſumus, l. 7. §. 3. quod vi aut clam, l. 29. §. 1. ad L. Aquil. l. 27. pr. de S. V. P. l. 22. §. 2. quod vi aut clam, junct. l. 1. C. ut nem. lic. ſine jud. auc ſign. reb. impon. al. Add. Bartol. in l. 1. §. nunciatio, de nov. op. nunc. Duaren. præl. 2. ad tit. de nov. op. nunc. & L. 2. diſp. cap. 40.* Cujac. *L. 16. obſ. 12.* Nicol. Valla *de reb. dub. tract. 8. n. 1.* Bachov. *Vol. 2. Diſp. 18. th. 2. lit. g.* Speckhan. *cent. 3. cl. 3. qu. 23. num 36. 37. 38.* Non, inquam, juvat Cajum regula adducta. Nam (1) non in *ſuo*, ſed in *Sempronii prædio* aliquid factum & ædificatum erat: (2) rerum noſtrarum defenſio nonniſi ob urgentem neceſſitatem conceſſa eſt, nam citata *l. 7. §. 3. quod vi aut clam*, extat: *niſi ex magna & ſatis neceſſaria cauſa: alioquin hæc omnia judicis officio celebrari oportet.* Hinc, quoniam nullum periculum erat in mora, usque dum Cajus adiret Judicem, qui judicium ſuum liti interponeret; certe nulla neceſſitas preſſit Cajum, ad feſtinandum elidere Sempronii feneſtras. Et propterea ipſe ſe non poteſt excuſare per Regulam alle-

Digitized by Google

allegatam. (3) Ad hoc, ut id, quod vi aut clam nobis invitis ædificatum vel factum eſt, vi aut clam deſtruere poſſimus, requiritur, ut *ædificatum habeat fundamentum in noſtro*, hinc, ſiquis protectum ſupra domum alicujus, nullo jure habet, id recidere non oportet. *d. l. 29. §. 1. ad L. Aquil.* Unde *Duarenus in d. l. 27. de S. V. P.* verbum: *immiſſum:* explicat ita: *quod immittitur in meum, i. e. quod ita imponitur, ut in imo hæreat vel requieſcat.* Adde *l. 242. de V. S.* Quoniam itaque nec Sempronii feneſtræ habuerunt fundamentum in Caji prædio, ut ibi requieſcerent, ideo Cajo licitum non fuit, ut eas excuteret.

§. XIII. Hæc ſunto, quæ de priori excuſſionis feneſtrarum ſpecie dicta volumus. Jam deveniamus ad poſteriorem excuſſionis feneſtrarum pace vicini poſitarum.

§. XIV. Ea autem eſt vel talis, quam paſſus eſt is, qui ſervitutem luminum & ſimilem in alieno prædio habet, vel talis, quam paſſus eſt ille, de quo alii eidem infenſi vindictam privatam per tale quid commiſſum ſumſerunt.

§. XV. De illa feneſtrarum pace vicini poſitarum excuſſione, qua læſus eſt is, qui ſervitutem luminum & conſimilem in alieno prædio habet, I.) Sequentem quæſtionem generalem tradimus: *An ei, qui pace vicini immiſit feneſtras in ejus prædium, & ſervitutem luminum aut conſimilem in vicini prædio conſtitutam habet, an, inquam, ei, a vicino ſervitutem ulterius non conceſſuro, licite excutiantur feneſtræ?* II.) hunc formamus caſum ſpecialiorem; *Mevius pace Seji erexit in ſuo pariete feneſtras, ex quibus in Seji prædium inſpici datur, & ſervitutem luminum conſtitutam habet in prædio Seji; Sejum, utpote vicinum Mævii, pœnitet conceſſionis Servitutis, & nunciari jubet Mævio, quod*

 *ipſe*

*ipſe nolit amplius admittere, ut Mævius feneſtras, & ex illis licentiam ſui (Seji) prædium inſpiciendi habeat. Mævius eludit Sejum. Quo facto Sejus Mævii feneſtris per lapides bonam veſperam apprecatur.* Quæritur, an Sejus licite hoc commiſerit? & reſpondetur negando.

§. XVI. Quemadmodum enim ſervitute conſtituta in ſuo ſolo pro lubitu aliquis ædificare non poteſt, *l. 9. de S.V.P. l. 8. C. de ſervit. Gail. obſerv. 69. num. 19.* Add. *Johann. Sainſonius in Conſuet. Turonenſ. Tit. 19.* ita etiam, conſtituta v. g. ſervitute luminum, vicini feneſtras violare non eſt juri conſonum. Nam ea eſt ſervitutis natura, ut libertatem in re noſtra alias nobis competentem adimat, ita, ut ad alterius utilitatem aliquid in noſtro pati teneamur vel non facere, *l. 15. §. 1. ff. de ſervit.* Siquid igitur contra ſervitutem ædibus alicujus debitam injurioſe extructum aut factum ſit; revocandum eſt prædium a Magiſtratu ad priſtinam formam, damni etiam habita ratione, *l. 5. C. de ſervit.* Itaque Sejus in caſu noſtro injurioſe excuſſit Mevii feneſtras.

§. XVII. Simili ratione de illa feneſtrarum, pace vicini poſitarum, excuſſione; quam paſſus eſt is, de quo alii, eidem infenſi, vindictam privatam per tale quid commiſſum ſumſerunt (l) ſequentem caſum proponemus: *Cajus & ejus Commilitones Dædalo infenſi, excutiunt feneſtras hujus, pace vicinorum poſitas: quæritur, an Cajus cum ſuis commilitonibus hoc juſte conſummaverit?* Et reſpondemus: Admodum quidem jucundus nobis eſt, dum adhuc viridis ætatis perſonæ ſumus, tinnitus orbium vitreorum alienorum a nobis nocendi animo fractorum, noſque, ſi in ea ætate conſtituti ſimus, valde delectat aſpectus foraminum cœcorum & vitreis orbibus cum plumbo flexili orbo-

orborum; melius etiam eſt: iram ſuam in res inanimatas exvomere, quam animatas & homines. Aſt, ſi modo leges nobis hoc indulgerent!

§. XVIII. Nam, præter hoc, quod privata vindicta ejusmodi perpetratum reddit illicitum, juxta *ſuper. cit. l. 14. C. de Judæis & cœlic.* etiam damnum quod datur, dare prohibitum eſt, *per* §. *13. Inſt. de L. Aquil. l.* 27. §. *5. 6. ff. ad L. Aquil. l. 40. cum ſeqq. eod.*

§. XIX. Quoniam itaque per ſingulas a nobis conſideratas excuſſionis feneſtrarum ſpecies damnum alterius patrimonio injuſte infertur; conſequens eſt, ut ipſi ſuperſint remedia, quibus reſarcitur damnum per excuſſionem feneſtrarum injuria datum.

§. XX. Remedia autem illa ſunt; Actio confeſſoria & Actio Legis Aquiliæ. Et harum actionum alio caſu competit utraque, alio caſu ſaltim earum una.

§. XXI. Utraque competit ei, cui ſervitutem luminum vel conſimilem habenti a vicino excuſſæ ſunt feneſtræ: Nam: ceu ſuperius, §. *16. circa finem* diximus: ſi quid contra ſervitutem ædibus alicujus debitam factum ſit, (1) revocandum eſt prædium a magiſtratu ad priſtinam formam, quam quis intendit actione confeſſoria, *l. 2. l. 4.* §. *2. ff. ſi ſerv. vind.* §. *2. Inſt. de Action;* (2) damni etiam habita ratione, cujus præſtationem æſtimationis ipſe impetrare poteſt per actionem legis Aquiliæ, *ſup. citt. loc. & l. 15. C. de ſervit.*

§. XX. Quemadmodum enim Actio Legis Aquiliæ competit cuivis, cujus patrimonium dolo aut culpa deminuitur, nimirum cuivis, cujus res aliqua injuſte uritur vel frangitur, vel ſcinditur, aliove modo corrumpitur, *l. 2. pr. l. 5. pr. l. 11.* §. *5. ad L. Aquil. princ. Inſt. de injur.* jung.

*ſuper.*

*ſuper. citat.* §. *13. Inſt. de L. Aquil. l. 27.* §. *5. 6. ff. ad L. Aquil. l. 40. cum ſeqq. ff. eo.* Ita etiam Legis Aquiliæ actio competit ei, cum ſervitutem luminum aut conſimilem in vicino prædio habenti excuſſæ ſunt a vicino feneſtræ. *arg. ll. citat.* & præterea *arg. l. 21.* §. *ult. & ſeqq. ff. ad L. Aquil.* §. *10. Inſt. de L. Aquil.* ubi *Bachov.* vid. inſuper *l. 21.* §. *ult. l. 22. l. 23. l. 29.* §. *3. l. 37.* §. *1. ff. ad L. Aquil. add. Joh. Thom. c. 12. num. 42. tract. de nox. animal.*

§. XXIII. Una illarum actionum, nempe actio Legis Aquiliæ tantum competit (1) ei, cui feneſtras in ſuo pariete, non conſtituta ſervitute erigenti, vicinus reluctans feneſtras excuſſit; *arg. text.* §. *præc. citat.* (2) ei, de quo alii eidem infenſi vindictam privatam ſumſerunt per excusſionem feneſtrarum. *arg. text.* §. *præc. 22. citator.* Cum enim his caſibus pars læſa non habeat ſervitutem luminum conſtitutam, hinc actio confeſſoria eidem non poteſt competere. *Arg. ll. ſupra* §. *21. n. 1. citatur.*

§. XXIV. Cæterum non ſolum præſtationem ſimplæ æſtimationis damni pars læſa in caſibus noſtris a Judice petere poteſt, ſed etiam petere, ut contra inficiantem æſtimatio illa ſimpla duplicetur, *l. 2.* §. *1. l. 23.* §. *10. ff. ad L. Aquil. l. 4. C. eod.* Add. *Perez. num. 16. Bachov. th. 10. lit. e.* Unde pœnalis, non quidem ſimplex, ſed mixta dicitur illa actio. *l. 23.* §. *8. ff. ad L. Aquil.* junct. §. *19. Inſt. de action. vid. Bachov. D. 5. de action. th. 21.*

# TANTUM.

**A. R. I.**

Digitized by Google

# A. R. I. BV̈NEMANNI, M.
## OPVSCVLVM
## DE
# STVDIOSIS BACCHANTIBVS TVMVLTVANTIBVSQVE
## Von
## Schwermenden und Tumultuirenden Studenten; item: von der Purſchen-Freyheit, Wetzen, Licht-weg-Vivat-Pereat-Rufen.

§. I.

Solent apud nos Typographi aliqui, quod ſi non ordinarii adſint labores, id operam dare, vt ſuis ſumtibus dent vel novos libellos, vel iam publicatos, qui tamen adeo obtinuere adplauſum eruditi orbis, vt emtorum multitudo librariorum tabernas exhauſerit omnibus exemplis illius. Nolunt vero maiora opera literis, vltro & ſuis impenſis exſcribere; quum illa maiores poſtulent ſumtus, & tamen, niſi placuerit opus admodum eruditis, emtoribus deſtituantur, pecunia necquiquam impenſa; typographo vero inde maximum detrimentum. Melius ſibi, conſulere volunt, dum opuſcula minora & diſſertationes prelo ſubiiciunt, &, quum non ſemper habere poſſint qui gratis ipſis ſuppeditent opuſcula inedita, antiquata recudere ſolent. Non quidem negaverim etiam vtplurimum ſic leviter tenuiterque, immo inepta abſurdaque, ſcripta, ſic iterata vice lucem, quam non merentur, videre publicam, maxime, quum ipſi ex inſcitia nullum ſelectum facere poſſint. Certe ſunt plurima elegantius ſolidiusque ſcripta, quæ iteratam editionem ob ſummam *Ingreſſus*

raritatem maxime merentur; ſed tamen vix inveneris librarios ad quorum palatum ſint. Dicunt ſe debere eiusmodi libellos edere, quorum argumenta practica ſunt vel tamen plane curioſa, es müſſe was practiſches oder doch gantz was beſonders ſeyn, es bliebe ſonſt liegen und ginge nicht ab.

§. II.

*Abſurda ſcripta.* Hinc etiam varios excogitant, ſæpius abſurdiſſimos, ſcriprores noſtri, titulos atque inſcriptiones librorum. Vid. *Cl.* BERNHARDI *curieuſe* Hiſtorie der Gelahrheit. Novum nomen dant centonibus ſuis conſarcinatis miſerrime ex centies iterum iterumque dictis aliorum. Vid. *Ill.* MENCKENIVS *de Charlataneria eruditorum.* Exiſtimant etiam omnem rem ſe confeciſſe, ſi convaſaverint vndique allegata ſcriptorum; nihil vero curant an aliquas ſingulares ipſi de re habeant cogitationes, vel vt meditationes ſuas maturiores dent, quo vitio Germani præ Gallis maxime ſunt inſignes. Es gehet mit ſolchen Schrifften wie mit denen Tródel-Buden, als worinnen viel Ende und Reſte, aber niemahls ein guth Stück an zutreffen. Vid. D BRITAINE Menſchliche Klugheit *Sect. I.* ſed quid ad me?

§. III.

*Cauſſa ſcripti huius.* Nuperrime me acceſſit typographus & monſtravit mihi hanc, *Dom.* TREIBERI *de excuſſio feneſtrarum*, diſſertationem, & petiit a me, vt, quum conſilium cœperit, iterum edendi opuſculi, illud vero duobus quippe plagulis conſtans, nimis breve ſit, aliquid ad rem pertinens, vel ad fine, conſcriberem e. g. vom ſchwermen und tumultuirender Studenten. Initio quidem recuſavi illud, quum in argumento illo non niſi vulgaria occurrant, ſed tamen deinde tandem annui ipſius petitioni, maxime quum mecum

cum

Digitized by Google

cum reputarem, forſan aliqua dici poſſe, memoria digna, & forſan aliquos futuros, ad quorum palatum labor noſter horis ſubciſivis ſcriptus futurus ſit. In me itaque ſuſcepi ſpartam ſcribendi de STVDIOSIS BACCHANTIBVS TVMVLTVANTIBVSQVE; ſummi numinis auxilium ſcribenti adſit! Noli vero exiſtimare, me multa collecturum ex aliorum ſcriptis, nam non centonem voluit typographus; ſed meas meditationes; *ſunt etiam auctoritates tant tum*, ex iudicio iuſtiſſimo VINCENTII GRAVINAE *de ortu & progreſſu iuris civilis Præf. arma imperitorum*, quæ quilibet indices conſulens conducere poteſt.

§. IV.

Ea quidem eſt mortalium natura atque indoles, vt iam ipſi rariſſime videant, quid bonum, ſeu fini ipſorum, qui ad felicitatem impetrandam tendit, conſentaneum ſit, necne? Non omnium habemus rerum ſufficientem notitiam ſcientiamque. Mortalium vita brevis; ars longa. Hinc aliorum in plurimis ope ad impetrandam felicitatem neceſſe habemus. Nam illi nos docere debent, quum neſcimus quid bonum malumve ſit. Hinc quoque ortum, vt rerum notitia abiret in certas artes ſcientiasque; ita quidem, quum ſubinde aliquis regulas excogitaret ad quas eſt rerum notitia ad felicitatem ſufficiens impetranda; has vero regulas deinde alii in vnum colligerent, & ſcientiam peculiarem inde conſtituerent. Hinc tot ſcientiæ; Theologia, Jurisprudentia, Medicina, omniumque mater Philoſophia. Nimis diffuſæ ſunt hæ ſcientiæ, quam, quas vnus poſſet docere. Olim quum minorem ambitum haberent, poterat quilibet paterfamilias ſuos docere, vti olim apud Iudæos vid. FLEVRY *hiſtoire des Iuifs*. Iam illud amplius fieri nequit. Doctores ſingulis ſcientiis con-

*Quare ſint Academiæ?*

conſtituti. Vbi olim Doctores, vbi auditores; ibi Academia. Conf. Viri maxime incluti Perill. Dom. a LVDEWIG *Opuſculum de Villa Platonis.* Deinde conſtituti Doctores, per rerum publicarum rectores. Certi loci deſignati academiis. Vid. CONRINGII *Antiq. Acad.* & Perill. DN. a LVDEWIG in elegantiſſimo Opuſculo de *Hiſtoria quadripartitæ eruditionis.* LIMNÆVS *Jur. publ. L. VIII. Cap. I.* BVLÆVS *Hiſt. univerſ. Pariſ. Tom. I. pag. 91. ſeq.* LEHMANNI Speyer. Chronick. *Lib. II. cap. 33.* RINCK *Diſſ. de Imper. Acad. auctore.* ANONYMI Nachrichten von *Academien.* Quæ autem fuerit ſcientiarum Academiarum que hiſtoria, doceant iam dicti auctores, & THOMASIVS *in cautelis Jurisprudentiæ*, item STOLLII & REIMANNI V. V. C. C. Hiſtorien der Gelahrtheit, & qui ſpeciatim de ſcientiarum fatis egerunt vt BVDDEVS, PFAFFIVS, GRAVINA, SCHVBARTH, BRVNQVELL, HEINECCIVS, CLERICVS, CONRINGIVS, BARCKHVSIVS, SCHVLTZIVS, STOLLIVS & reliqui: quibus addenda Perill. DN. a LVDEWIG *Præf. ad Tom. II. Conſil. Halenſ.* In compendio omnia exhibet, qui mihi in primis placuit, CLAVDE FLEVRY *Traité du choix & de la methode des études.* Patet vero hinc: *academias & ſtudia noſtra academica, eſſe ad impetrandam felicitatem.*

## §. V.

*Fini illo conſentanee viuendum eſt ſtudioſis.*

Sic itaque debent ſtudioſi inſtituere vitam ſuam, vt obtineant felicitatem, finem ſtudiorum ſuorum, niſi velint ii eſſe, qui adverſus finem, quem actionibus ſuis propoſuêre, agunt, hoc eſt: *ſtulti;* ſtultum enim eſt male agere, hoc eſt adverſus finem, ſapientis vero actiones ſuas ad finem ſuum componere. Hinc debent ante omnia ſtudere ſapientiæ tam theoretice, quam practice, non ſufficit enim, ſcire media impetrandæ felicitatis, ſed & debent illa adhiberi; ſi velis eſſe felix. Inprimis curis itaque ſtudio-

dioſis erit ſcientiarum adquiſitio, adeo, vt omnia diſcant, quæ diſcere poſſunt; mittere vero ea debent, quæ illos confuſos reddere poſſunt. Reſpiciant ergo ad vires, & videant

*Quid valeant humeri, quid ferre recuſent?*

recte enim exiſtimavit, eximius ille Gallus, *Monſ.* de SAINT' EVREMONT (de quo vid. iudicium dans *les Melanges d'hiſtoire & de literature recueillis par* M. de VIGNEVL-MARVILLE *Roterdam* 1700. p. 270.) que: *l'homme qui veut connoitre toutes choſes, ne ſe connoit pas lui-meme.* Id, quod & probatum dedit, *dans l. I. Tome des Oeuvres Melées de p. 320. jusqu'a la fin du I. Tome* (edit. meæ *Pariſienſis* a. 1698. 12.) Non vero debent pigritiæ, otio, vitæ diſſolutæ vacare, quippe quæ omnia ſtudiis ſunt adverſa, quum illi labores, homines ſobrios, animos compoſitos, exigant.

§. VI.

*De vita ſtulta ſtudioſorum.*

Sed vtinam ſtudioſi noſtri ita viuerent, prout debebant. Plerique relinquunt veram viam, qua incedere tamen debent ad felicitatem impetrandam. Senſibus ſuis tantummodo fidem habent, adeoque illa tantum plerumque eligunt, quæ ſenſus delectant, nulla adtentione adhibita, an has voluptates ſupſequuturus dolor malumque vid. „der deutſchen Geſellſchafft in Leipzig eigenen Schrifften und Uberſetzungen, vbi *Dom.* MAYE in denen Gedancken von der Auferziehung p. 126. 127.„ eleganter ita. - die ſo genannten eignen und verderbten Lüſte, durch welche die Kinder, wie die Erwachſenen, beſtändig gereitzet werden. - Die ſinnlichen Ergetzlichkeiten, welche uns vergnügen ehe wir daran gedencken, daß ſie uns ſchaden werden. Die Erwachſenen, welche ſich davon einnehmen laſſen, erwegen ſo wenig als

die Kinder, was darauf erfolgen wird. Sie ergetzen ſich an dem Gegenwärtigen. Sie haben ihre gröſſe Luſt an der Schönheit, die ſie beſitzen, an allerhand Eitelkeiten, mit welchen ſie unaufhörlich beſchäfftiget ſind; an Geld und Gut, daß ſie überflüßig in ihre Kaſten ſammlen; in allem demjenigen, was ihnen angenehm iſt: da ſie doch dadurch an einem beſtändigen und dauerhafften Vergnügen gehindert werden. Bona enim illa exiſtimant tantummodo, quæ ita videntur, licet non ſint, niſi adparentia. Vitæ perverſiſſimæ dediti ſunt plerique, vnde etiam recte effrænum illud vitæ genus improbat MATTH. MEYFARTVS *Erfurtenſis Theologiæ Profeſſor*, libro, quem inſcripſit: Erinnerung von Erbauung und Fortſetzung der Academiſchen Diſciplin auf den Academiſchen hohen Schulen in Teütſchland a. 1636. in 4to. Sapiens vero reſpicit finem rerum. Ex fine noſcitur tonus. Malus finis rem malam, bonus bonam, facit.

§. VII.

*Vlterius de illa.*

Sed quam ſæpiſſime confit, vt iſti, qui in Academiis non ſapientes fuere, demum reduces domum ſero ſapiant. Se vident, inhabiles ad rem publicam capeſſendam. Inſcitia ſe ſua inhabiles eſſe probe intelligunt. Cauſſam inſcitiæ, ſciunt optime, eſſe negligentiam ſuam, atque infortunii cauſſam eandem. Recte enim OLDENBVRGER *de Rebuspublicis turbidis: negligentia habet comitem infelicitatem*, & quæ ſequuntur egregie dicta p. 236. Quilibet vero eſt fortunæ ſuæ faber. vid. aureus liber w. de BRITAINE, quem centies legerem cum ſumma delectatione animi, Menſchliche Klugheit *Sect.* XXVIII. p. 349. ſq. BESSELII, civis mei, Glücks-Schmiede THOMASII Ausübung der Sitten-Lehre *Cap.* XII. v. 26. Habeant ſibi quod fuerint ſtulti. Sed ta-

tamen officii rectorum rerumpublicarum eſt, vt, quoad eius fieri poteſt, purgent rempublicam a ſtultis, vt homines vere felicitatem quærant, hoc eſt, vt quærant, vbi eſt. Sunt enim ideo a nobis ſubditis conſtituti, vt nos ducant ad bonum. Stulti ſe non credunt ſtultos, ſed ſapientes. Ipſis inſipiunt, qui ipſos ſapientiam docere volunt, vt iis, qui maxime ſtulti. Neque ſtultus meliora ſequitur, quum ſua putet optima. Cogendus itaque eſt. Studioſi errones cogendi in veram felicitatis viam. Cogendi per leges iisque adiectis pœnis diſcant, demum damno ſuo ſapere. Bene itaque conſtitutæ acedemiæ, vbi bonæ leges contra cives immorigeros. Sunt quidem habenæ, quibus ducendi. Neque fere eſt academia, vbi non ſint Leges ſcriptæ ſtudioſis malis. Bonis enim non opus eſt legibus. Has ſequi debent leges, niſi incurrere velint pœnam iis adnexam; ſignum ſcilicet quo poſſunt cognoſcere malum. Animadvertunt magiſtratus academici in ſtudioſos maleferiatos, vt ipſi ſuo detrimento, & alii ipſorum exemplo, diſcant ad meliora redire. Sed quorſum hæc omnia? 1) *vt eluceat ſtudioſo eſſe ſapienter vivendum*, & 2) *vbi ſtultum agit, recte vindices eſſe leges Academicas*, ad quos quidem theſes philoſophandum erit in hoc opuſculo.

## §. VIII.

Quid ergo libertas academica **die Purſchen Freyheit**? ſiccine illa legibus præciditur? illa libertus, quam tam ſtrenue, etiam ſanguine ſuo, defendunt. Enimvero quid ſibi vult illa ſtudioſorum libertas? dic quænam ſit? Ego certe nihil eiusmodi ipſis conceſſum eſſe, quale volunt, invenio. Fere omnia facinora illa tegere volunt libertate, tumultus ipſos, excuſſiones feneſtrarum, & quæ ſunt

*De libertate ſtudioſorum* von der Purſchen-Freyheit

Digitized by Google

ſunt eius generis egregia ſcilicet facinora, illa excuſari putant. Certe illam effrænam libertatem ſtultorum potius dixeris, quam ſtudioſorum. vid. c. V. VI. VII. Sed vnde provocant ad illam? debet tamen aliquid ſubeſſe? nihil ſub eſt! cape argumenta mea: quicunque libertate gaudet, ille vel naturalem libertatem habet, vel civilem; tertium non datur. Atqui ignorat civitas libertatem naturalem, ergo qui in civitate ſunt, tantum civili libertate ſint inſtructi, neceſſe eſt. Quod vero libertate naturali non gaudeant cives, hinc elucet: *Libertas naturalis eſt ille ſtatus quo nullius neque dominio nec Imperio obnoxii ſumus.* Jam vero nemo in civitate eſt, qui non ſit vel dominio vel Imperio ſubditus. Ergo cives libertatem naturalem habere nequeunt. Studioſi etiam ſunt cives, ergo libertatem civilem tantum habere poſſunt. *Libertas civilis eſt ille ſtatus quo nullius dominio obligati ſumus.* Ergo in civitate omnes quidem eſſe poſſunt liberi, ciuiliter; ſed non naturaliter. Ergo libertas ſtudioſorum tantum eſt libertas a Dominii vinculis. Sed hac etiam alii præter ſtudioſos inſtructi ſunt. Quid ergo? dicam quod res eſt! ex medii ævi vſu loquendi, intelligenda eſt illa ſtudioſorum libertas. *Libertas* ibi denotat vt plurimum: *ius præcipuum*, ein Vorrecht, ein *priuilegium*, eine Freyheit. Hinc medio ævo LIBERTARE idem eſt, ac *privilegiis munire.* ſic *Charta* VRSONIS *Archiepiſcopi Barenſis* apud VGHELLVM *Italiæ ſacræ Tomo* VII. p. 553. LIBERTATIO vocatur quod nobis eſt *conceſſio vel facultas alicujus rei* vox. vero LIBERTARE pro *privilegiis donare*, adhibetur his locis: CHRONICON SENONIENSE *Lib.* IV. *cap.* 6. *Oppidum quod Nuremberg dicitur, munivit & LIBERTAVIT.* Item LIBER DE FVNDATIONE MONASTERII GOZECENSIS *pag.* 223. *Quod Cœnobium isdem Comes*

*mes in honorem* B. *Iohannis Evangeliſtæ conſtructum* SVB APOSTOLICAE SEDIS AVCTORITATE LIBERTAVIT. Hinc etiam paſſim occurrit formula: Vt TERRAM ILLAM EADEM LIBERTATE VT MAIORES NOSTRI TENEAT; h. e. *eodem iure, iisdem privilegiis*, mit eben dem Recht und Gerechtſamen als unſere Vorfahren. Sic CONCILIVM CLOVESOHENSE a. 822. Inter alia ſic habet; *Huic reconciliationi conſenſit, ea conditione, vt præfata Abbatiſſa prænominatam terram, ſcilicet centum manentium, cum libris quos Angli dicunt Landboc*, & CVM EADEM LIBERTATE QVAM ANTEA HABVERAT, IN PERPETVAM HEREDITATEM TRADERET. Etiamnum vernacula dicere ſolemus: er hat die Freyheit zu fiſchen. (1) Iam facilior nobis intellectu erit ſtudioſorum libertas.

## §. IX.

*De vera libertate ſtudioſorum.*

Habent ſtudioſi privilegia varia, quæ ipſis impertita ſunt a principibus noſtris, de quibus quidem legi poſſunt, qui ex inſtituto de *privilegiis ſtudioſorum* egerunt, uti: IVLIVS PACIVS, CHRISTOPHORVS BESOLDVS, THVRMANN, HORATIVS LVCIVS, HELFRICVS VLRICVS HVNNIVS, *De* ESCOBAR, PETRVS REBVFFVS *a Montepeſſulano*, BECMANNVS, HERTELIVS, LIEBENTHALIVS, RICHTERVS, LINDEMANN, BRONCHORST, ceteri,

D teri,

(1) Obiter moneo, quum hic de libertate ſcribo, contentionem eſſe inter eruditos, quid ſibi velit vocabulum *ſemper*-frey? Sed fruſtranea eſt lis illa, & ex medii ævi vſu loquendi facillime ſolvitur hic nodus Gordius, atque id quidem ex formula manumiſſionis hac SEMPER INGENVVS ATQVE SECVRVS EXISTAT, quippe quæ toties in Manumiſſionum *Chartis* occurrit. Inde vero ortum, vt medio ævo, apud nos qui vulgariter, *ingenuus*, diceretur *ſemper*-frey, *ſemper liber atque ſecurus.* Quod adeo verum eſt, ut hoc ſenſu verbi intellecto, loca illud adhibentia plana atque clara ſint maxime.

Digitized by Google

ſcri, quibus addantur ANDREAS DE ISERNIA, ZAVNSCHLIFFER SCIPIO GENTILIS, SICHARDVS, GILKENIVS, BOLOGNETTVS, CHRISTOPHORVS KVPERENIVS, SVEVVS, BRVNNEMANNVS ad *auth. habita, in Comm. Cod.* aliique multi. Sed habent plerique privilegia efficta & in ipſorum cerebro nata tantum, nunquam vero conceſſa a principibus, quod vel *Obſervationibus* in vnum REBVFFVM docuit IAC. FRIDER. LVDOVICI. Illa vero privilegia, quæ ſtudioſi habent, conſiſtunt in ſecuritate omnimoda ipſis ante omnes præſtanda, vt tuti ſatis ſtudiis ſe dare poſſint cauſſam illorum privilegiorum veram docet perill. a LVDEWIG in *Præf.* ad Tom. II. *conſil. Hallenſ.* §. XXIV. Illa privilegia iuraque præcipua, vt puto, dixerunt libertatem ſtudioſorum, vti etiam dicere ſolemus, ſi quis civium privilegia iuraque defendit: er ſey ein Beſchützer der Freiheit, *protector libertatis.* Nullam aliam enim rationem, adeo congruam, explicandi libertatem ſtudioſorum invenio. Poſſem quidem etiam alias rationes adferre, quas quidem alii dedere, ſed quum meris coniecturis, vt mea, innitantur, vtique mihi dicere licet:

Σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἐστὶν, ἐμοὶ δὲ τάδε. Sed tamen mihi valde gratum ac acceptum erit, ſi quis me meliora docebit, vel etiam plura in re tam obſcura. Nam veriſſimum eſt illud ROMANI PHILOSOPHI: *alium alio invenire poſſe plura, neminem omnia.* Certe illud dubio procul eſt, ſtudioſos facinora ſua minime libertate ſtudioſorum, iure palliare poſſe. Cavendum vero, *ne, ſub prætextu libertatis privilegiorumque, flagitiorum creſcat auctoritas, vel publica vacillet vtilitas* vid. l. 2. COD. *de privil. Scholar.*

§. X.

*De conviviis* Quum de tumultuationibus & graſſationibus nocturnis

Digitized by Google

ſtudioſorum denen Purſchen Schmäuſen.

ctumis agere volumus, operæ prætium erit, præmittere tractationem brevem de iis, quæ antecedere ſolent tumultus graſſationesque, ſcilicet convivia. Pleruṁque enim fieri ſolet, vt convivæ ebrii prorumpant in eiusmodi actus illicitos, vel &, quum tumultus conciere volunt, præmittunt convivium lautum, vt eo ſint fortiores animoſioresque. Maxime vero ſolet bibi in conviviis ſtudioſorum & apud pleroſque gloria in eo quæritur, quod quis integras amphoras cereveſiæ atque vini abligurire poteſt; quod adeo verum eſt, vt plurimi hac vita ſibi mortem præmaturam concilient vid. *Cel.* ALBERTI Diſſ. *de plurimorum hominum morte nimis matura.* Maximam ſic partem, pecuniæ ſtudiorum cauſſa ipſis deſtinatæ, perdunt, ita, vt dici poſſit vere quod de BRITAINE habet *Sect.* XVIII. p. 232. Es koſtet uns mehr, daß wir elend werden, als uns das Koſten würde, ſo uns vollkommen glückſelig machet. Scilicet maximam gloriam inde ſibi quærunt, ſi admodum lauta convivia inſtituere poſſunt. Nam vt *de* BRITAINE l. c. p. 235. egregie philoſophatur. Wir überſchreiten die Grentzen der Natur, und gerathen in Uber-Fluß dergeſtalt, daß mit dem was hinlänglich iſt vergnügt ſeyn, heüth zu Tage nur vor Bettler gehöret. Dixit inter alia in frequentiam conviviorum, OLEANDER, pſeudonymus, in denen unpartheiiſchen Gedancken von dem Academiſchen Leben p. 85. etiam hæc: da währen die Schmauſereyen immerforth, den einen Tag bey dieſem, den andern bey jenem Lands-Mann, biß auf den Samabend da heiſt es: Bruder! du muſt dir eine Land-Luſt machen und mit uns Reiten, will er nicht, ſo brauchen ſie allerhand argumenta perſuadentia, will er noch nicht, ſo reden ſie von moquiren,

will er noch nicht, ſo ſagen ſie ihm von allerhand gefährlichen Dingen, und forciren ihn ſo lange ꝛc. ꝛc. conf. ANONYMI (*Cel.* RÜDIGERI) Klugheit zu Leben und zuherrſchen *Cap.* III. v. 16. iſti nepotuli omnia bona ſua miſerrime decoquunt, quum tamen iſtis, maxime parſimonia ſit opus. vid. id. §. 18. Sed hoc nihil mirum, nam partim nimis incurii ſunt rerum ſuarum, partim nondum experti ſunt, quanta opera ſit opus ad habenda vitæ neceſſaria, partim vt ARISTOTELES *Rhetor. Lib. II. cap. 12.* ait: *nunquam experti ſunt paupertatem miſeriamque.* Recte autem iura noſtra contra iſtos ſtatuunt, vt indigni habeantur privilegio illo, quo ſumtus ſtudiorum cauſſa impenſi, non ſolent venire in computum in iudicio familiæ erciſcundæ. Bene enim & ſcite SCHOEPFERVS *de ſumtibus ſtudiorum Cap. I. n. 15.* ita: *A ſumtibus vero ſtudiorum excludimus merito expenſas quæ fiunt luxuriæ & intemperantiæ cauſſa, commeſſationes illæ frequentes abominandæ; nam, ſicuti ebrietas lerna eſt malorum, ita maxime ſtudiis adverſatur, cum non tantum illa dies, quæ Baccho conſecratur, Muſis detrahatur, ſed altera quoque & ſequens dies penitus inepta exiſtat ſtudiis reaſſumendis, multique plus vna crapula ex memoria dimittunt, quam intra quatuor ſeptimanas ei mandarunt quum igitur compotationes, adeo ſtudiis contrarientur, nullo modo earum ſumtus ſub nomine ſumtuum ſtudiorum comprehendere fas erit.* id. *ib. n. 17. & ſqq.* docet omnia alia eſſe dicenda, de conviviis neceſſariis e. g. denen Antritts- Abſchieds- Doctor- und dergleichen Schmäuſen. Quæ tamen non procedunt, vbi convivia ſumtuoſa & compotationes prohibitæ ſunt, vti LL*bus Acad. Jenenſ. Sect. I. l. 1. 6. & 14.* & LL*bus Helmſtad. Acad. l. VI.* & VITEMB. *l. 18. 33.*

§. XI.

*Vlterius de iisdem.* Quid? quod etiam plane abſurdum eſſet, velle ſumtus

tus

tus conviviorum ſtudioſorum, adſcribere ſumtibus ſtudiorum. Non tantum ob iam dictas rationes, & quia *ſtudia amant honeſtatem, humanitatem & parſimoniam, quibus luxuria adverſatur*. Vid. SCHOEPFER *de ſumtibus ſtudiorum. Cap. I. n. 23.* Sed &, quia illi minime poſſunt pertinere ad piam cauſſam, ſed potius ad maxime impiam. Jam vero ſtudiorum cauſſa pia eſt, vid. TIRAQVELL. *de privil. piæ cauſſæ in Præf. num. 26.* BRVNNEMANNVS *Conſil. penult. n. 401.* LIEBENTHAL *Diſp. I. de privil. ſtudioſ. th. 6. lit.* b. & C. *auth. habita. Cel.* HERTEL *de Jure ſtudioſor. Sect. II. §. XIV.* vnde etiam tot privilegiis ſunt muniti ſumtus ſtudiorum. vid. SCHOEPFERI *diſſ. de ſumtibus ſtudiorum.* Eſt autem homine ſano maxime indignum, ſe ingeniumque ſuum corrumpere intemperantia. Fruſtra etiam obvertunt, quod ſit ita moris apud Studioſos: es wäre Purſchen-Manier oder Studenti*kös* quum hi mores ne quidem infimæ plebis homuncionibus conveniant; neque magis ad exemplum plurimorum componere debemus vitam noſtram, ſed ad naturam & rationem. Glückſelig aber iſt der, welcher nach der Natur und Vernunft, nicht nach dem Exempel lebet, und für die Nothdurft, nicht aber für Pracht und Uberfluß ſorget. Vid. WILHELM de BRITAINE Menſchliche Klugheit *Sect. XVIII.* Etiam ideo plane abſurdum atque ſtultum eſt, illud vitæ genus, quod adverſatur omnium fini communi, ſcilicet felicitati. Nam qui intemperans eſt, ſibi morbos mortemque ſubſequentem conciliat. Felicitas vero eſt, vita ab omni dolore libera. Qui vero longam & a morbis liberam vitam optat, amet temperantiam illamque obſervet. *Qui multum edere bibereque vult, caveat ſibi, ne bibat edatque multum.* Conf. *L'homme de Cour* de BALTHASAR GRACIAN *La Maxime XC.* quæ inſcriptionem habet hanc: *Le*

*moien de vivre long-tems.* Non poſſum mihi temperare quin dem egregia GRACIANI verba : *C'eſt de vivre bien. Il y a deux choſes, qui abrégent la vie, la folie & la mechancetè. Les uns l'ont perduë, pour n'avoir pas ſu la conſerver ; les autres, pour ne l'avoir pas volu. Comme la vertu êt elle même ſa recompenſe, le vice eſt lui-même ſon bourreau. Quiconque vit a la hâte dans le vice, meurt bien-tot, & en deux manières; au-lieu que ceux, qui vivent à la hâte aans la vertu, ne meurent jamais. L'integrité de l'eſprit ſe communique au corps, & la bonne vie eſt toujors longue, non ſeulement dans l'intenſion, mais même dans l'exterſion.*

## §. XII.

*De ſtudioſis graſſantibus nocte* von Nachtſchwermern.

Vtinam autem ſtudioſi abſtinerent a nimio potu, certe plurimi actus ipſos minime decentes minime fierent. Sed ſero ſapiunt phryges. Solent ebrii oberrare nocte, & quævis abſurda facere. Clamitant, huc atque illuc diſcurrunt, gladiis feriunt lapides, invadunt homines, domos, feneſtras, & quæ eius farinæ ſunt ſcelera admittunt. Mihi tum ſimiles videntur Bacchantibus, vnde illos etiam ita vocavi in inſcriptione Opuſculi huius, licet alio ſenſu alioquin ſtudioſi bacchari dicantur. Bacchanalia vero erant dies feſtus, qui celebrabatur apud Romanos & græcos maximo luxu, amentia & furore. Nam vt FLAVVS BLONDVS *de Roma triumphante Lib. II.* rem narrat, nudi viri cum nudatis omnia membra mulieribus, matronis, viduis & virginibus, ad ſacra conveniebant, quæ non niſi nocturna erant, caput omnes pariter, femoraliaque pampinis, & uvarum racemis cincti, alios item uvarum racemos in manu tenebant, & tumultuario invicem mixti cœtu in ſublime ſaltantes, variaque geſteculatione, brachia, cervicem, caput moventes, carmen



Digitized by Google

inconditum Baccho cantabant, nec prius erat ſaltationis modus, quam defatigati, & toto corpore vacillantes partim reſupinarentur proximioribus inhærentes, partim in pavimentum fanatici, amentesque procumberent, vt recte ſenſit M. VARRO talia nonniſi ab amentibus fieri non potuiſſe. Sed illud nihil mirum, adeo enim erant ebrii, ſeu vt ipſi vocabant ἔνθεοι, *Deo pleni*, vt nonniſi ſic ſe gerere poſſent, vid. PITISCVS *Tom.* I. p. 238. MONTFAVCON *Antiquitès Expliquès par de figures.* HOSPINIANVS *de feſtis Ethn.* p. 115. Inde etiam recte SCto apud LIVIVM *Lib.* XXXIX. Abolita ſunt hæc bacchanalia, ſanis hominibus maxime indigna.

## §. XIII.

*Similitudo illorum cum Bacchantibus.*

Hinc vero vides, maximam eſſe ſimilitudinem inter Bacchantes illos Romanos & ſtudioſos noſtros, ebrios nocte per plateas tumultuario cœtu diſcurſantes, & quævis turpia committentes. Etiam niſi Baccho pleni atque amentes ideo talia facere non poſſent. 1) Nemo dubitat adverſari hoc bonis moribus. 2) Hac vita maximum detrimentum pecuniæ ſuæ, ſtudiis, famæ, valetudini parant. Pecuniæ; quum ſic multas impenſas maxime inutiles, immo deteſtandas faciant. Famæ; quum quilibet probus non poſſit non ſentire male de iis qui ſic viuunt. conf. Celeb. HEVMANNI politiſcher *Philoſophus* p. 123. valetudini; quum ex Medicorum omnium ſententia, nihil magis adverſum ſit ſanitati exitialeque, quam ebrietas & nocturnæ defatigationes; nam ſic comparata eſt natura noſtra, vt debeamus nocte quiete & ſomno corpus animumque debilitatum reficere. Studiis nocent; quia ſic inhabiles ſunt ad diſcendum, etiam illa facillime obliviſ-

Digitized by Google

bliviſcuntur, quæ antea multa opera didicerunt. Sed quum neque hæ rationes maleferiatos homines moveant, iure 3) lege de illis ſancierunt, vt carceri mancipentur, qui graſſationibus & clamoribus nocturnis ſtudioſorum nomine ſe indignos reddunt ſic e. g. Legum noſtrarum Academicarum XV. ita conſtitutum: *A clamoribus nocturnis diurnisque, & graſſationibus, vnusquisque ſe abſtineat, ſub pœna carceris durioris. Quod ſi hac pœna ad frugem reduci nequeat, ab Academia removeatur. Edicto Duc. Brunſuic.* a. 1725. d. 22. Febr. inter alias etiam hæc lex ſcripta ſtudioſis Helmſtadienſibus: daben aber überall alle Schwermereyen, Stuben und Gaſſen muſiquen ruffen und Schreyen auf denen Gaſſen und aus denen Fenſtern, Wetzen mit dem Degen, ſchimpfen, heraus fordern und alle andere Debauchen ſie mögen Nahmen haben, wie ſie wollen, desgleichen das Ausziehen und Exerciren, bey Vermeydung willkührlicher Strafe, und dem Befinden nach der Relegation, verbothen, auch zu Verhüthung alles unzuläßigen Nacht-Schwermens die Geſellſchafften und Zuſammenkünffte jedesmahl noch vor 10. Uhr des Nachts, in aller ſtille, und wie modeſten und Tugendliebenden Gemüthern geziemet, geendiget werden. *vid.* LL. ac Vit. l. 6. 33. 40. Hinc etiam in plurimis omnibus academiis conſtituti ſunt, qui nocte per plateas inſidientur malis atque contra legum effata graſſantes vociferantesque, vel diſpellant, vel capiant carcerique includant. Id quod in academia noſtra iuſſu Regio deinde exhibendo, fit per lictores die Häſcher oder Herren-Diener.

§. XIV.

*De ſtudioſorum iure gladii.*

Ad ſtudioſorum iura præcipua ſeu libertatem vid. §. IX. pertinet etiam ius gladii habendi, quo quidem nobi-

nobilibus æquales ſunt vid. BVRKHARDVS *de caſibus Monaſterii* S. *Galli Cap.* VIII. *Perill. Dom.* a LVDEWIG in denen Hälliſchen wöchentlichen Anzeigen & NOS *Præf. de Nobilibus Germanis iure belli inſtructis* KLVGKISTIO adiecta §. IV. V. & VI. inde etiam gladio inſtructi ſunt, quod nobilium iuribus gaudent, quod iam obſervavi in *dicta Præf.* §. VII. ex eo enim *nobiliſſimi* dicuntur. Maximi autem momenti ius illud præcipuum eſt, quippe quo nemo inſtructus, niſi qui ius belli habet d. l. §. IV. Vnde, quod in *dicta Præfat.* oblitus ſum, recte OLDENBVRGERVS *de Rebuspublicis turbidis ſedandis*, dicit: *armatos eſſe quidem poſſe cives in Polyarchicis rebus publicis; quum contra in Monarchicis illa libertas exlex ſit.* Hinc etiam BOXHORNIO teſte *apud Helvetios & Leodienſis opifices etiam armati ad operas manuales accedunt.* Nam olim plurimos etiam opifices nobiles fuiſſe, nullus dubito. Sed perdidere nobilitatis ius opificiis vid. *Perill. Domini* a LVDEWIG, magni & excellentis ingenii viri, *Opuſculum* degantius, *de Opifice exule in Pagis.* Nihilo minus tamen ſibi aliqua nobilitatis iura conſervarunt, vt hoc gladii ius. ARISTOTELES *Oper. Polit. Lib. II. Cap. 6.* refert antiquiſſimos Græcos Gladiis inſtructos fuiſſe pace belloque. Id quod cauſſam habuit veterem ſtatum æqualem. Sed abſurde philoſophatur Philoſophus dum hæc abſurdis inſtitutis accenſet. THVCYDIDES prodidit *Lib. I. cap. 6.* ſolos Athenienſes primos depoſuiſſe in pace gladios, quos imitatos eſſe alios ait præter Acarnanes & paucas alias Græciæ gentes. Sed quum orirentur Imperia maxime mutati ſunt hi mores, vnde illud ISIDORI PELYSIOTAE: *Gladium pacis tempore geſtare in vrbe non licet.* Halæ noſtræ cives ius Gladii geſtandi habent, meo iudicio ideo, quod olim plurimi cives nobiles maiores habuerunt. In quo

E etiam

etiam me firmat magis ſermo, quem habui haud ita pridem cum *Celeb. Dom.* M. GVEINTZIO, Viro in rebus Halenſibus verſatiſſimo. Perſæ gladio cincti pace belloque erant, neque quidem pharetram ab humeris deponebant, ſemper equis adhærentes vid. HERODOTI *Lib. V.* Parthæ itidem etiam inter epulas gladios ad latera habebant. vid. IOSEPHVS *Lib. XVIII. Antiq. Cap. 3.* & AMMIANVS apud BRISSONIVM *de regio Perſarum Principatu Lib. III.* §. 2. de Germanis idem docuimus *d. Præf.* §. V. Certe OVIDIVS *Lib. V. Triſtium* idem de Gethis refert, de Gallis idem docet LIVIVS *Lib. XXI. Cap. 20.* Contra in Monarchiis, vbi libertate naturali, hoc eſt vera nobilitate Germanorum antiquiſſimorum, vide nos *Opuſculo Ill. ad* KLVGKISTIVM, non gaudent, ſubditi quippe alterius Imperio, ibi regulariter nemini ius gladii præter Principem, & illos quos eodem inſtruxit, competit. Hinc tot interdicta in regnis quibusdam, ne ſubditi viliores vel ruſtici bombardis, vel cuſpidibus, vel lanceis, vel gladiis, antiquo, publice aut privatim incedant, quorum exempla congeſſit OLDENBVRGER *de Rebus publicis turbidis ſedandis. p. 288. & 289.*

§. XV.

*Hiſtoria gladii Academici.*

Operæ prætium erit aliqua dicere de hiſtoria gladii academici. Scripſit, Vir in re literaria verſatiſſimus, D. HEVMANNVS *hiſtoriam gladii academici*, quæ quidem multæ lectionis exemplum præbet, ſed non ex mente noſtra hiſtoriam gladii academici exponit. Faciam itaque, pace tanti viri, experimentum breve hiſtoriæ gladii academici. Recte V. C. aſſerit Græcos ſtudioſos nunquam iure gladii præditos fuiſſe; immo tantum habuiſſe *ἐσθῆτας σχολαστικάς* vid. DIOG LAERT. *Lib. IV.* §. 53. Apud Romanos eo minus ſtudioſi armati eſſe poterant, quum nemini liceret

eſſe

eſſe gladiato Romæ præter mi lites vide *nos* in *Præf. ad* KLVGKISTIVM §. IV. eiusque *additamentis*. Angliæ ſtudioſi ſimillimi in hoc ſunt Græcis, vt veſtes ſcholaſticas habeant gladios vero ignorent omnino. vid. BENTHEIMII Engliſcher Kirchen-Staat *Cap. XXIV. §. 102. & Præf. eiusd. §. X.* ſed & Galli & Germani ſtudioſi ſemper habuerunt ſecum gladios. Vnde hi mores? Miſſa Gallia contemplemur Germaniam noſtram. Has vero gladius Academicus cauſſas habet. 1) Nobiles Germani ius gladii habebant ſeu belli cuius gladius inſigne. Vide NOS. *Præf.* ad KLVSKISTIVM & ideo etiam nobiles ſtudioſi gladiis latera inſtruere poterant omni iure, non, vt *Cel.* HEVMANNO *p. 6.* viſum, quia palæſtricam artem forſan addiſcerent. Alius alium ſequitur. Forſan divites inmitati ſunt nobiles, adeo, vt etiam bella privata tam a nobilibus quam ignobilibus ſuſcepta in academiis eſſent frequentiſſima. Accedit, quod olim, quum maior nobilium numerus eſſet quam reliquorum ignobilium, pauci quam facillime imitati ſint reliquos multos maxime cum vlulandum ſit cum lupis. 2) Doctores ius etiam habebant gladiis vtendi, quippe qui per gradum nobilitatem nobilitatisque iura acceperant; hi forſan exempla ad imitandum quibusdam non promotis fuerunt. Neque 3) negaverim ego aliquid tribui debere bellicis turbidisque temporibus, maxime bello tricennali. Minime vero, quia per privilegium expreſſum literis adepti ſint nobilitatis iura, ſed ſaltem obſervantia continui temporis. Sic nobiliſſimi vocantur non ex lege quadam ſcripta, ſed quum olim maior nobilium numerus eſſet, a potiori facta denominatione, omnes nobiliſſimi dicti ſunt. Certe nullam adhuc invenire potui legem, qua illud nomen adiiciale indultum ſtudioſis, ſed

obſervantiam, quam dixi cauſſam habens, fundamentum tituli eſt.

§. XVI.

*Continuatio Hiſt. Glad. Acad.*

Sed pergam iam ad penitiorem gladii academici hiſtoriam. Vix natæ erant academiæ, quum iam leges darentur ſtudioſis, vt gladios deponerent, certo indicio illos gladiis eſſe vſos, alioquin enim leges necquicquam datæ fuiſſent. Sic in *Erfurtenſi* Academia ita STATVTIS ACADEMICIS cautum eſt, vt: *nullus cum armis offenſivis in plateis incedat, ſub pœna amiſſionis armorum.* Vid. MOTSCHMANNI *Erfordia literata Tom. I. p. 654.* etiam ante a. 1540. in *Argentoratenſi* Academia ſimilem *legem* latam fuiſſe, coniicio ex iis, quæ in transgreſſores dixit CALVINVS *in Epiſtolis* cuius verba habet *Cel.* HEVMANNVS *p. 6. & 7.* ſed ex vltimis ſimul ſatis liquet, nihilo minus ſtudioſos antiquo vixiſſe, & ex MEYFARTO adparet Erfurtenſes ſtudioſos non obſtante lege ſe gladiis armaſſe. Forſan, quod nobiles flocci penderent leges quæ illis naturalem libertatem adimere volebant, quos reliqui ſequuti ſunt. a. 1605. Gymnaſii Academici *Coburgenſis* ſtudioſis prohibitus fuit gladii vſus vid. LVDOVICI *Hiſt. Gymn. Coburg. P. II. p. 44. Jenæ.* a. 1625. *Argentorati* iterum a 1629. leges latæ ſunt de gladiis non geſtandis. Vid. RABENERVS *Amoen. hiſt. Philol. p. 393. in Saltzburgenſi* academia idem ſtatutum eſt a. 1639. vid. *Hiſt. eius acad. cap. V. p. 79.* Sed necquicquam hæ leges latæ fuerant. Potius ſæculo XVII. iterum conceſſus eſt gladius ob tempora bellica rempublicamque turbidam; id, quod iam IOANNI GERHARDO ita viſum vid. *Cel.* LOESCHERI **fortgeſetzte Sammlung der unſchuldigen Nachrichten** a. 1728. p. 1030 ſqq. Exemplo ſit, quod in *Hiſtoria academiæ Saltzburgenſis p. 78.* narratur: a. 1634. hoſte ſuecico graſſante ſtudioſis data fuiſſe arma, illosque

losque militaribus imbutos fuiſſe exercitiis. Eadem procul dubio cauſſa fuit etiam aliis ſtudioſis vt gladios iterum ſumerent. Tandem adeo invaluit apud ſtudioſos mos gladios habendi, vt etiam in Gymnaſiis vix pueri illis ſe ornarent. Neque vllum fundamentum idoneum video, ex quo his gladius potius, quam academicis negari poſſit. Certe eodem iure gladios acceperunt & geſtarunt omni tempore. Hinc etiam noſtris temporibus de academicis ne quidem dubitatur, & in plerisque locis nequidem de Gymnaſiorum alumnis. In quibusdam locis conceſſus ſtudioſis academicis gladius ſolis, ita vt debeant vel tyrones artium vel pueri ſtudioſorum &c. abſtinere a gladiis; ſic eſt EDICTO REGIO in *adpendice* n. I. dato: und die Handwercks-Purſche (welche ſich des Degen-Tragens gänzlich enthalten müſſen) Mägde und Jungens ꝛc. Sed non ideo ipſi ſtudioſi iudices ſui eſſe debent. Vide NOS *Præf. ad* KLVGKISTIVM §. VII. Neque iam ſtudioſis prohiberi gladii vſus poteſt, quum timendum ſit inter alia, ne muſarum ſedes vacuæ relinquantur in quibus gladii ſtudioſis denegantur. Sed ſatis iam verborum eſt de hiſtoria academici gladii, in qua quidem conſcribenda collectaneis *Cel.* HEVMANNI me vſum eſſe ingenue fateor.

§. XVII.

*De abuſu gladiorum adſeriendos lapides* dem *Wetzen.*

Habeant itaque ſtudioſi gladios; ſed ad quid? vt alii ipſorum ſciant nobilitatem, non mores perverſos, ferocitatem & cetera vitia. Nam quod dixi in *Præf. de nobil. Germ. iure belli inſtructis* §. VII. hic etiam iure repeto: *Non alio fine conceſſus ſtudioſis gladius, quam ad ornamentum, vt ſe ſic diſtinguerent ab illiteratis ignobilibusque iuvenibus, & illo ſe, in periculo conſtituti defenderent.* Sed proh dolor! eo vsque abit abuſus vt ideo fere vſus tollendus ſit. *Minime*



Digitized by Google

enim *accepère ſtudioſi gladios, vt illis abuterentur ad duella, invaſiones aliorum, graſſationes nocturnas, & eliciendum ignem ex lapidibus* dem Wetzen, *quippe quibus rebus ſe vtique indignos reddunt hac prærogativa. d. Pr.* §. VII. Certe in eo etiam maxima cura academicorum magiſtratuum verſari debet, vt illos abuſus pro virili tollant, & niſi poſſint omnimode, puniant tamen ſevere; id, quod etiam fit in Academiis plurimis. Si leges academicas exteras dare vellem, exempla plurima negotio facillimo conducerem. Saltem dabo verba huc pertinentia aus dem Königl. Preußl. Geſchärfften Edict wieder die Tumulte de dato Berlin den 19. Octobr. a. 1724. inter alia vero ita diſponit edictum illud regis noſtri clementiſſimi: und damit das unvernünfftige Schreyen, Wetzen in die Steine, und Fenſter einwerffen, welches insgemein von un diſplinirten und liederlichen ſtudioſis zu geſchehen pfleget, in Zukunfft gäntzlich ceſſireu und abgeſtellet werden möge; ſo hat die Univerſität und der Magiſtrat ſorgfältig dahin zuſuchen, daß die Stadt-und Schaar-Wache, mit muntern und tüchtigen Leüthen beſtellet, und von denenſelben des Nachts durch die Gaſſen patroulliret, und die Tumultuanten auf das Rath-Hauß ad cuſtodiam gebracht werden mögen ꝛc. ꝛc. LL. ACAD. IENENS. *ſect.* II. *lege* X. *qui temeraria militum provocatione & vexatione ſuam aliorumque innocentium ſimul ſalutem in diſcrimen adducere*, LAPIDES GLADIIS FERIRE, *ardentes faces iaculari; aut alia quacunque ratione tranquillitatem & ſecuritatem publicam lædere ſuſtinent, ſocietate noſtra academica indigni iudicantur.* vid. INTERDICT. ACAD. *publicat.* d. VI. *Novembr.* MDCCXIIX. Nihil etiam tam abſurdum eſt, quam lapides gladio petere; me iudice illud non facerent degeneres iſti, quod ſi lapides

extem-

extemplo vindictam ab illis ſumere, ipſisque in capita inſilire poſſent. Fac etiam concedi iuvenibus delectationem illam poſſe, quam ſe ex ſcintillis ex lapidibus prodeuntibus capere exiſtimant, tamen ideo prohiberi illud deberet, quia inde maximæ contentiones ſæpius, immo duella. Quandoque enim ſi alter alterum videt ſic denudato gladio incedere lapidesque ferire, ille ſibi iniuriam fieri exiſtimat, etiam gladio ſuo eodem modo contra alterum vtitur: er Weßet contra: tum diſſidium, quod ſequi duellum fere ſemper ſolet. Vterque quidem peccat in leges, vterque pœna dignus, poteſt tamen vltimus mitius puniri, quum iuſtum dolorem ob iniuriam ſibi illitam obvertere poſſit, haud incongrue. Sed, vt CAESARIS *in Epiſt. ad Affec.* I. c. 8. f. verbis vtar: *neque tutius neque honeſtius reperiet quidquam*, bonus civis, *quam ab omni contentione abeſſe.* Iniuriam quidem continet prioris facinus, ſed adeat magiſtratus, vt ipſi ſatis fiat, de iniuria illata. vid. Art. II. des Königl. Preußl. Duell-Mandats. Sed tamen ſi illud evitare non poſſit, iure gladium quidem evaginare poteſt, quum neſciat an alter ipſum petere velit? neque obligatus eſt, vt patiatur cum periculo ſuo ſe ab altero præveniri. Sed debet quietus eſſe gladio ſuo, dum alter ipſum invadat; minime ad defenſionem pertinet, vt etiam ſæviat in lapides innocentes, quum etiam ſic magis alterius bilem moveat.

§. XVIII.

Sæpius fit, vt ſtudioſi per plateas divagantes, vt eo minus cognoſcantur, lumina abſcondi velint. Omni voce clamant: *tollatur lumen*; Licht-Weg! quod tanto auſu faciunt, vt alteri ipſis ſe obedientem non gerenti, infringant feneſtras aut lucernas. Sed in eo maxime peccant *De Clamore Licht-weg.*

cant

cant contra leges 1) nocte non debent turbæ excitari, ſed omnia debent eſſe quieta, vnde vel ſola vociferatione ſua ſe pœna dignos reddunt. 2) Iniuriam inferunt ei, quem iubere volunt, quum nullum eius ius habeant, vt lumen tollat. Immo 3) eo ipſo iniuriam faciunt dum eum ab exercitio iuris ſui impedire volent. 4) ſi etiam feneſtras petant, vel lucernas, vini faciunt, & quam ſeveriſſimam pœnam merentur, etiam 5) eodem caſu ad reſarciendum damnum alteri illatum obligati ſunt. Immo 6) ſi hoc faciant, vt illudant diligentibus & probis qui noluêre quum quum illis eſſe, eadem pœna digni ſunt, qua puniuntur ii, qui ſeditionem movent, de quibus infra. Loquor enim de caſu vbi tumultus eſt, vel meditatur & alterum eo vsque cogere volunt, vt cum ipſis ſtet. Omni itaque iure Leges in illos animadvertunt, qui his delictis ſe culpa reos faciunt. Solet plerumque ſtatui, vel relegatio in ſolum clamorem Licht-Weg. Si vero accedat damnum alteri illatum vel feneſtrarum excuſſio a) debent alteri reſtituere damnum factum b) proſcribuntur. Audiamus quid e. c. LEGES NOSTRÆ ACADEMICÆ ſtatuant? l. XV. ita eſt: *Nemo feneſtras aut ianuas civium aliorumque infringat, ſiue ſaxis aliisque telis, petulanter petat. ſub pœna carceris. Si vero ex propoſito hoc factum relegationis pœnam ſuſtinebit.* Quod ſi verum eſſet, quod LIEBENTHALIO *Diſp.* I. *de privil. ſtudioſ. th. 8. lit.* d. Viſum, muſea ſtudioſorum ſacra eſſent, atque offendens ſtudioſorum domos, diceretur committere ſacrilegium. Studioſus alterius muſei petens feneſtras ſacrilegii reus eſſet, niſi dum vterque privilegiatus. Apage nugas! Neque poterit ebrietate ſe ſua quis excuſare, quum ſecundum rectam rationem & iuſtum Regis noſtri O. M. edictum illa augeat



Digitized by Google

geat delictum, quam minuat. Delictum autem hoc gravius puniri poteſt, ſi magiſtratibus vel ædibus publicis illo iniuria detrimentumve factum. Hinc iuſtiſſima eſt LL. ACADEMIC. VITEMB. XIV. cuius verba hæc ſunt: *Aedificiis publicis, vt Arci, Aedibus Collegiorum, Curiæ, vim inferre, capitale eſto. Priuatorum vero edes qui violaverit, ſive lapidatione feneſtrarum, ſiue forium effractione, is pœna fractæ pacis domeſticæ, edicto de Duellis definita, afficietur.* Huc etiam pertinet earundem L. XI. *Gladium adinferendam iniuriam ſtringere, & ſclopetos maiores, minoresue, in urbe exonerare atque diſ, lodere nefas eſto. Qui ſecus fecerit armis excidet, & mulcta pecuniaria, aut carcere punietur: præfracte reſiſtens relegabitur.* conf. *Regis Poruſſio* & aliorum principum *Edicta de duellis.*

§. XIX.

*De clamore: Vivat! Pereat!*

Præcipuum ſignum quo noſſe poſſumus ſtudioſos bacchantes eſt clamor atque boatus. Nam quum diem noctisque partem potando genioque indulgendo perdiderunt ſolent obambulare per vrbem & voces tollere, vt alii ſciant ſe eſſe ebrios, inſipientes, immorigeros. Sed & hoc ſe pœna dignos faciunt, quum, vti diximus, debeant omnia nocte quieta eſſe, vt reliqui, qui diem laboribus defatigantem nocte quiete exſpectare volunt, reficere vires, poſt labores exantlatos præteriti diei, quiete dormire poſſint. Nam hi omni iure de iniuria turbis nocturnis ſibi illata conqueri poſſunt apud Magiſtratus. Sed tamen fac etiam indulgeri poſſe hoc civibus academicis, vt clament, tamen illud inhoneſtum eſſet iniuſtumvee, pati, vt vel cantilenis ſalaciſſimis tantum hominibus dignis, honeſtas auras offendant nepotes iſti. Hinc iure meritoque ita ſtatuitur LL. VITEMBERG. IX. *Boatus illi clamoresque ſtentorei, tam in plateis & vicis, quam in ædibus, atque nocturnæ graſſationes, nec non laſciuæ*

*ſciuæ ſpurcæque cantilenæ, ſiue in aliis tam Academiis condemnatæ ſint, ſiue vlla ratione caſtas lædant aures, tenerasque offendant mentes, prorſus interdictæ ſunto. In eo crimine qui deprehenſus fuerit, carcere pœnam* luat, *vel pro re nata relegetur.* Immo eo procedunt, vt alios provocent, quod plerumque cum apprecatione quævis malorum fieri ſolet; e. c. ſic clamant: *Pereat* N. N. tief! Atque tum bene ſe feciſſe, exiſtimant, rem omnem. Sed pertinet hoc ad iniurias, ob quas læſus recte apud iudicem, vt ſibi ſatis fiat, poſtulat. Non vero debet ſibi ipſi iudex eſſe, nam, non licet iniuriam iniuria repellere vt vim vi. Illis verbis ego non in periculum venio, ita, vt mihi ſit opus defenſione; neque honorem illis perdo; licet in me aliquid contra leges h. e. iniuria fiat. Hinc etiam iniuriam facit, qui alterum ita boantem etiam perire iubet; der *pereat-contra* rufet; vel: *contra* ſteh Hundsvott! Vterque ſe pœna iniuriantis dignum facit. Prior delictum maius perpetrat, dum ſuperiores ſuos magiſtratus ceterosque, vel alias perſonas auguſtas perire optat. Quod adeo verum eſt, vt ideo relegatione perpetua cum infamia pro re nata dignus ſit. Fit etiam illud ab inſipientibus, qui non conſiderant, quod iam THVCIDIDES dixit: l. 12. 28. τὸ παρὸν ἀεὶ βαρὺ τοῖς ὑπηκόοις. Alii contra ſe mitius peccare exiſtimant, ſi alteri vitam apprecantur felicem; wenn ſie ihm ein Viuat-rufen. Eſt enim moris, vt voce ſublata quandoque quibusdam proſpera feliciave quævis adprecentur in ſignum benevolentiæ. Immo vrgent hoc, a ſubditis principes, maxime in inaugurationibus ſuis. *Atrebato* a LVDOVICO XI. *Rege Galliæ expugnato, & in poteſtatem redacto, multi quidem excivibus maluerunt ſuſpendium ſuſtinere, quam dicere*: Viue le Roy! *Viuat Rex!* a ſtudioſis noſtris nemo ſignum illud benevolentiæ & obſequii exigit, ſatius agunt, ſi quieti ſint, neque peccent in concentum LL*gum Academicarum*:

CLA-

CLAMOR NOCTVRNIVS DIVRNVSQVE ATQVE BOATVS NON ESTO!

Hinc LL. ACAD. IENENS. *Sect. II. lege* VII. ita: *abuſus & vſus quicunque verbi per ſe haud noxis*, VIVAT! *quatenus is cum vociferatione ac turba coniungitur, penitus ac in univerſum eſt prohibitus: & hoſpitibus quidem choroque tumultuanti præcinentibus, relegationis publicæ; reliquis vero carceris aut mulctæ graviſſima pœna decreta eſt. Nec diſſimilem poſthæc animadverſionem incurrent, qui vel cornu venatico, vel tubo illo ſtentoreo, quem acuſticum vocant; vel tubæ aut lyræ etiam cantu immodico; vel deiectis* &c. hanc in rem exſtat *Progr. Acad. Ienenſe contra abuſum vocabuli* VIVAT! d. XIII. Septembr. DCCXVI.

§. XX.

Iam mihi erunt aliqua dicenda de tumultuationibus. Quemadmodum nihil in omni rerum mole eſſe poteſt ſine cauſſa, ita nec tumultus. Nunquam quidem memini bonos probosque tumultibus voluiſſe impetrare ius ſuum, quum hac via ſe magis reddant iure ſuo indignos. Immo *viro bono & quieto & bono civi, nihil magis convenit, quam abeſſe a civilibus controverſiis*; id, quod CAESAR iam dixit *inter Epiſtolas ad Att.* l. *Ep.* 8. f. conf. *Cel.* HEVMANNI politiſcher Philoſophus p. 123. Sed tamen iuſte ſe agere exiſtimant ſtudioſi noſtri, ſe defendere libertatem ſuam die Purſchen Freiheit. *Agunt audacius: & palam libertas ac ſpecioſa nomina prætexuntur*, VT TACITVS loquitur *Hiſt.* IV. 73. 7. Enim vero debent ius ſuum defendere legitime, hoc eſt adeant magiſtratus ſuos, vt ipſis illatam iniuriam vindicent. *De tumultuationibus ſtudioſorum.*

NEMO IN CIVITATE SIBI IPSI VINDEX ESTO.

Eam ob cauſſam iudicia conſtituta ſunt. Sed tantum abeſt vt hoc faciant, potius in ipſos quandoque magiſtratus rebelles ſunt; vel, quia ſe nimis dure haberi exiſtimant, ſie wären gar zu ſcharf. Sed eo ipſo produnt ſe

eſſe malos quum magiſtratus nihil duri facere poſſint bonis non peccantibus contra leges; Memini me olim legiſſe *Orationem* BAVDII quæ huc pertinet. Vel, quod magiſtratus ſuos iura ſua non ſatis ſarta tectaque conſervare exiſtimant; ſed tum adeant Principem quod ſatius erit, vel omnium iudici Deo rem committant. Præcipuum vero medium tumultus impediendi eſt, vt magiſtratus ſuorum iura defendant ſtrenue ab inſultibus malevolorum. Vnde etiam ita edixit *Rex noſter clementiſſimus.* a. 1735. d. 24. *Iul.* inter alia; **hat aber jemand gegründete Urſachen über einen andern, er ſey wer es wolle, zu klagen, und meldet ſich deshalb bey deſſen ordentlichen Obrigkeit, ſoll ihm das** promteſte **wahre Recht unnachbleiblich wieder fahren. und ein jeder ſolches bewircken, auch die** Profeſſores **ſolches zu befördern hiermit ernſtlich angewieſen ſeyn.** Nam

*- - Vbi non eſt pudor*
*Nec cura iuris, ſanctitas, pietas, fides,*
*Inſtabile regnum eſt. - -*

neque, vbi ipſi iniuſti ſunt magiſtratus, digni ſunt qui iuſtos habeant ſubditos poteſtati ſuæ. Sed non ideo debent iniuſti iniurii ſtudioſi eſſe. Fac ſit, habere quosdam ſtudioſos malos magiſtratus; tamen non ipſi debent eſſe mali. Hinc ſententia legum academicarum vnanimis eſt nullas turbas tumultusque eſſe debere. Neque vllam ſcio academiam quæ in eo diſcrepet ab aliis, vnde ſuperſedemus citatione legum earumque exſcriptione. conf. hic WILDVOGELII *Diſſ. de tumult.* Rex noſter peculiare edictum publicavit a. 1724. d. XIX. Octobr. contra tumultus ſtudioſorum. Vbi ſevere edixit in ſtudioſos tumultuantes. Gravius vero puniri debent auctores tumultuum quam reliqui, etiam plerumque relegantur cum infamia. Debet enim exemplum ſtatui, vt reliqui alterius

detri-

Digitized by Google

detrimento ſapiant. Sic vero diſponunt LL. ACAD. e. c. VITEMBERGENSES l. XIII. *Qui factiones moliri præſumpſerit, atque tumultus concitare, quibus pax & ſecuritas turbatur publica, cum nominis infamia excludatur, vel etiam, pro delicti modo, capitali plectatur pœna.* conf. *Edictum Ducis Saxoniæ, Dominica Iubilate* publicatum Vitembergæ A. MDCCIX. Taceo alias leges academicas quarum diſpoſitionem hic referre poſſem.

§. XXI.

*De impediendis tumult.*

Eo vero debent magiſtratus academici reſpicere, vt impediant tumultus, vel tamen, quoad eius fieri poteſt, rempublicam turbidam ſedent. 1) Itaque defendant pro virili ſtudioſorum iura, ipſis adminiſtrent ſtrenue iuſtitiam. Debent vigilare pro ſalute civium ſuorum, id quod promiſerunt initiati. LOPESIVS GOMARA refert de Mexicanis Regibus illos, quum inugurantur iurare in hæc verba: *Effecturos ſe, vt Sol curſum ſpendoremque ſuum teneret, nubes pluerent, rivi currerent, & terra produceret omne genus frugum.* Abſurdum quidem videtur iuramentum hoc, quum nemo mortalium illud præſtare poſſit. Sed ſi recte explicetur quilibet videbit ſapientiſſimum eſſe. Nam ſibi vult hoc: *debere Imperantes omnem operam pro ſalute civium adhibere, excubare vigilareque pro ſalute reipublicæ, & omne periculum ideo ſubire, vt quantum in ipſis eſt Rempublicam felicem efficiant atque conſervent.* 2) Eo reſpiciant vt rempublicam purgent a malis & ad rebelliones inclinantibus hominibus. *Falſo & inſidioſe libertatis nomen obtenditur ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitioſi, nihil ſpei, niſi perdiſcordias, habent. Itaque hi ſtatim vt ſeditionis auctores tollendi.* vid. DANAEI *Aphoriſmi* ex *bib.* XI. *Annal.* TACITI n. 5. p. 458. 3) Prohibeant ſuſpecta conventicula & convocationes ad illa. Romani in eo maximum prudentiæ exemplum dedêre quod ſacra nocturna & coitiones clandeſtinas &c. prohiberent. Nam nocturna ſacra prohihuerat Romulus id, quod, vt ſolet erudite docet. *Ill.* BÖMERVS *ad Plin.* II. *Diſſ.* II. §. 3. & ſqq. p. m. 38. & ſqq. L. GABINIA cautum erat, vt, qui vllas coitiones clandeſtinas in vrbe conflaſſet, more maiorum capitali ſupplicio mulctaretur.

 vid.

Digitized by Google

vid IAC. GOTHOFREDVS ad LL. XII. *Tabb. in font. iur. ciu.* p. 143. conf. etiam Ill. HEINECCIVS elegantiſſ. *diſſ. de collegiis & corporibus opific.* hinc & ex aliis cauſſis perſequutiones Chriſtianorum quod alio tempore fuſius probabo. Medium hoc commendauit etiam OLDENBVRGER *de Rebuſpubl. turbid ſedand.* §. LI. p. 257. ſqq. Vnde etiam ſapientiſſimo inſtituto nationaliſmus ſublatus eſt. Deinde 4) vt tollantur ignavi, quum vix exſtent diligentes tumultuantes, nam

*Cernis, vt ignavum corrumpant otia corpus,*
*Vt capiant vitium, ni moveantur aquæ,*

5) mox vt vides machinari ſeditionem,

*Principiis obſta, ſero medicina paratur,*
*Cum mala per longas invaluère moras.*

Nam ex ſcintilla minima etiam maximus naſcitur ignis. Denique 6) ſevere puniant magiſtratus auctores tumultuum tumultuantesque. Sed quid multa? integro libro iam docuit PHILIPPVS ANDREAS OLDENBVRGER qui *reſpublicæ turbidæ ſedandæ?*

## §. XXII.

*Exhortatio ad ſaniorem vitam.* Propero iam ad finem Opuſculi, maxime, quum fere iam excedat limites brevitatis, quas mihi ipſe poſueram. Sed antequam te dimitto, aliqua monebo. 1) Parentes in poſterum eo reſpiciant, vt prudenter educentur liberi; certe tum plerique prudentiores ſapientioresque erunt in academiis. Exemplo ſit HORATII pater parentibus, nam de patre ſuo ita canit HORATIVS *Sat.* VI. *lib.* I. *verſ.* 81-84.

*Ipſe mihi cuſtos incorruptiſſimus, omnes*
*Circum doctores, aderat. Quid multa? Pudicum,*
*Qui primus virtutis honor, ſervavit ab omni*
*Non ſolum facto, verum opprobrio quoque turpi.*

*Vtinam,* addit hiſce HORATII verbis Cel. MASSONIVS (2) in *Vita* HORA-

(2) Egregie ſcripſit hanc HORATII vitam CL. MASSONIVS, & legi illam multa delectatione, ſed illud mihi lepidum viſum, quod AVCTOR putat p. 18. anno vel VII. vel VIII. HORATIVM eſſe Romam portatum a patre, docendum. Nam eadem probabilitate ſtatuere poſſet, HORATIVM iam VI. aut V. anno fuiſſe in vrbem deductum? maxime, quum tum magis congruum ſit quod ipſe HORATIVS de ſe dixit: *patrem portaſſe puerum Romam.*

HORATII p. 25. *Chriſtiani id ſaltem genus exemplum in liberorum educatione ob oculos haberent.* 2) Tu vero ſtudioſe degener, hæc enim nihil ad probos, reſipiſce tandem! *Pone hos animos & compeſce ardorem, peritus obſequi, eruditusque vtilia honeſtis miſcere,* vt TACITVS dicit in *vita Agric.* VIII, 1. conſidera, Te debere vitam ſanctam, prudentem, honeſtam viuere, & debere componere vitæ rationem ad LL. divinarum humanarumque normam ſi velis eſſe felix. Non te capiat voluptas, quippe tot vitiorum Mater, & homine ſano indigna plane. Neque in malis quæras gloriam. Diſcas potius miſeriam tuam, cuius aliquam imaginem tibi pictam invenies apud P. D. HIPPOLITVM FALCONEM *in Narciſſo ad Fontem Cap.* I. p. I.

§. XXIII.

Pone immorigeram indolem, ob quam iam depoſitus es in initiatione academica; nam ideo depoſitio introductam eſt, vt, quemadmodum GREGORIVS NAZIANZENVS *Orat.* XX. (*edit. Pariſ.* MORELLIANAE) *de vita* BASILII MAGNI dicit: *Novitiis faſtum & arrogantiam ſi quam forte habent, extinguat, humanus atque facilis reddatur: laceſſitur autem ab aliis eruditius, prout ille, vel ruſticis, vel ineptis moribus, vel vrbanitate præditus* conf. SEKENDORFFII Teutſcher Fürſten Staat P. II. *Cap.* XIV. §. 7. p. m. 317. CONRINGII *Antiq. Acad. Diſſ.* IV. p. 117. ſq. Leipziger *Depoſitions-Ceremonien* p. 150. & 151. M. IOH. DINKEL *de ritu depoſitionis.* VALENTINI HOFFMANNI *Oratio*: *de laude depoſitionis,* & B. HORSTII *Progr. præfixum.* item FRIDERICI BENEDICTI PFENNINGII kurtze Nachricht von der Academiſchen *depoſition.* addatur etiam BECKMANN *de felic. iniur. Cap.* II. v. 15. & *Ill.* BÖHMERI *Ius Eccleſ. Proteſt. Lib.* III. *Tit.* IV. §. 3. Enivero *vitia erunt donec homines: ſed nec hæc continua, & interventu meliorum* penſantur TACIT. *Hiſtor.* IV. 74. 4. conf. SCHVPPII *ſtudioſus eruditus* oder unterrichteter Student *Opp.* p. II. p. 366. item: Kunſt reich zu werden & Freund in der Noth.

§. XXIV.

Denique 4) Tu Lector æqui bonique conſulas hunc laborem meum. Si me erraſſe putas alicubi, me meliora doce, nam vt iam antiquiſſimus ille vates Q. ENNIVS dixit: *Clauditur Opuſculum.*

Qui

*Qui erranti comiter monſtrat viam,*
*Quaſi lumen de ſuo lumine accendat,* facit.

libere dic contra ſententias meas; nam contradictio eſt optimum medium eruendæ veritatis. Egregie in hanc rem ita philoſophatur *L' homme de Cour de* BALTHASAR GRACIAN *dans la Maxime* CCXIII. - - *c'eſt un trait d'adreſſe*, · *que de contre dire-, d'autant que c'eſt vne obligation*, - , (qn'on impoſe á l'autre) *de ſ'efforcer à expliquer plus clairement & ſolidement la verité; de ſorte que la contrediction moderèe donne occaſion à celui, qui enſeigne, d'enſeigner à fond.* Certe mihi nihil acceptius eſt veritate. Neque ita ſum opinioni meæ deditus vt ab illa recedere, meliora doctus, nolim. Potius calculum adiicio GRACIANO qui l. c. *dans la maxime.* CLXXXIII. eleganter ita differit: *Tous les ſots ſont opiniâtres, & tous les opiniâtres ſont des ſots. Plus leurs ſentimens ſont erronez, moins ils en dèmordent.* & deinde poſtquam plurima, iudicium vere virile oſtendentia, dixit ita claudit: *L' inflexibilitè doit être dans la volontè, & non dans le jugement; bien qu' il y ait des cas d'exception, ou il ne faut pas ſe laiſſer gagner, ni vaincre doublement, c'eſt à dire, dans la raiſon & dans l'execution.* Ceterum fateor me plurima omiſiſſe ob temporis anguſtiam. Sic potuiſſem ex HOFFMANNI *Bibliotheca Iuris publici* dare adhuc aliquos *ſcriptores de hiſtoria academiarum*, potuiſſem aliqua differere de duellis ſtudioſorum, & dicta a me confirmare ſententiis pronunciatis ſeu præiudiciis, vt vocamus. Etiam in doctrina de tumultuationibus vtique debuiſſem eſſe prolixior. Mihi etiam *Celeb.* SCHAVMCVRGII vtiliſſimus & elegans liber. Einleitung zum Sächſiſchen Recht (quod compendium explicandum eſſet iuris tyronibus antequam ius Romanum diſcerent, nam valde abſurdum eſt nos Germanos Iurisprudentiæ initium quærere iu Romanis legibus, quæ nobis tantum ſupplementi inſtar in iure germanico ſunt.) II. Theil. *Excercit.* II. aliqua ſuppeditare potuiſſet (alios taceo) ſed adeo acceleravit typographus opuſculi editionem, vt fere madentes adhuc a me acciperet plagulas, nondum iterum reviſis meditationibus. Excuſes ſphalmata.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

# TANTVM.

Digitized by Google